

rochis assignatos *naturam* induere *beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum* : sunt verba sacrae Pœnitentiariæ 19 jan. 1819. Unde ex mutuo gubernii et episcopi consensu, novi creati possunt tituli canonicatum et parochiarum ; sed titulares resignare non possent cum reservatione annuæ pensionis quantumvis modicæ, absque summi Pontificis dispensatione.

5° Quoad autem alios parochos, qui vulgo dicuntur *deservientes*, major est difficultas ; cum enim ad nutum episcopi amoveri possint, probabile videtur eos in stricto juris canonici rigore non habendos esse velut beneficiarios ; et idcirco non est arguendus episcopus qui, ob religionis bonum, temporale aliquod onus imponit novo deservienti, v. g., suum prædecessorem senem vel infirmum gratis aut pro modica pensione habendi ac curandi, etc. Cum stipendia vulgo dicta *casuel* et *droit curial*, ex decisione S. Pœnitentiariæ 9 junii 1823, reputanda sint bona quasi patrimonialia, non vero ecclesiastica, episcopus potest etiam, sua auctoritate, aliquod onus in hujusmodi bonis fundatum parochi titulari imponere.

Notandum pensiones a gubernio *deservientibus* solutas, reputandas esse, sicut alias, bona ecclesiastica, ac proinde quæ honestæ sustentationi supersunt in bona opera sunt impendenda, et ad hæredes transmitti nequeunt. Vide quæ hac de re dicimus in Tractatu de *Restitutione*.

CAPUT SECUNDUM.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum sic habetur in Exodo, xx, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum : nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*. Directe ergo prohibentur ea quæ honorem sanctissimi Dei nominis lædunt, et indirecte ea præci-

piuntur quæ ex ejusdem sancti nominis honore fluunt. Hic itaque nobis tractandum est 1° de blasphemia, 2° de juramento, et 3° de voto.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BLASPHEMIA.

1° Blasphemia, quæ ortum ducit a verbis græcis, *βλάπτω*, *noceo*, et *φήμη*, *fama*, significat nocumentum in fama alicujus. Mos invaluit ut ad exprimenda dicteria Deo injuriosa adhiberetur, et a theologis communiter definitur : *Locutio Deo injuriosa*.

Per locutionem non intelliguntur tantum verba, sed qualibet signa externa, imo et quædam animi verba exterius non prolata, ut, v. g., Ps. xiii, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus*, in Deum, sive in se spectatum, sive in Sanctis suis.

2° Dividitur enim blasphemia 1° in internam, quæ in corde consummatur, et in externam, quæ verbo, scripto, vel alio signo exterius manifestatur ; 2° in immediatam, quæ Deum afficit directe, et mediatam, quæ directe afficit Sanctos vel res sacras et indirecte Deum quatenus Sancti et res sacrae habent ordinem ad Deum ; 3° in hæreticalem, imprecativam et dehonestativam. Hæreticalis ea est quæ falsum pronuntiat de Deo, sive ei tribuendo quod ei non convenit, vel negando quod ei convenit, vel attribuendo creaturæ quod solius est Dei, v. g. : Deus est tyrannus, crudelis, injustus ; Non est omnipotens, non omnia cognoscit, non omnibus providet ; Tu es mihi deus vel dea, loquendo ad personam quæ est objectum amoris inordinati. Blasphemia imprecativa illa est qua malum exoptatur Deo, v. g., non existat, pereat, sit maledictus, etc. Blasphemia dehonestativa ea est qua aliquid verum dicitur de Deo, sed indecenter et per modum contumeliæ ; talis ea quæ tribuitur Juliano Apostatæ : *Vicisti, Galilæe* ; aut illa qua ex ira nominantur caput Christi, viscera Christi ; vel ea nunc tam frequenter usitata *S... nom de Dieu*.

3^o Quælibet blasphemia est per se peccatum mortale; idque probatur 1^o ex Levitico, xxiv, 16: *Qui blasphemerit nomen Domini morte morietur*; 2^o ex S. Hieron. qui in Isa., l. 7, cap. 18, ait: « Nihil horribilius blasphemia, » quæ ponit in excelsum os suum; » 3^o ex pœnis a jure canonico et in edictis regum nostrorum in blasphematores decretis, ut videre est in *Coll. Andeg.*, t. iv, et in *Ferraris*, verbo *Blasph.*, n. 22 et seq.; 4^o ex ratione; manifestum est enim quamlibet contumeliam erga Deum esse materiam gravis peccati. Peccatum igitur fieri non potest veniale, nisi defectu advertentiæ aut consensus.

4^o Nec requiritur ut intentio Deum inhonorandi sit explicita; virtualis et implicita sufficit, nempe cum quis libere ea profert quæ, ex propria significatione, ex usu recepto, ex modo proferendi, vel ex aliis circumstantiis, Dei inhonorationem continent, quamvis id fiat sine pravo affectu in Deum, sed ex joco, ad manifestandam iram, etc., quia hæc per se gravia sunt et irreverentia erga Deum; graviora tamen sunt, si fiant ex intentione Deum inhonorandi, ex animo in Deum irato, etc.

5^o Plures dicunt non dari obligationem explicandi in confessione qualis fuerit blasphemia, an hæreticalis, an imprecativa, an simpliciter dehonestativa, an contra Deum, an vero contra ipsius Sanctos; quia eadem virtus religionis læditur: verum alii communius volunt singulas explicandas esse species, et præsertim dicendum an blasphemia fuerit immediate in Deum, vel in B. Mariam Virginem, in Sanctos, vel in res sacras, quia diversæ illæ circumstantiæ vel speciem mutant, novam addentes malitiam contra duliam aut hyperduliam, vel malitiam eidem virtuti religionis oppositam augent vel minuunt. Ita P. *Antoine*, *Collet*, *Coll. Andeg.*, *Billuart*, *Dens*, etc.

6^o Qui ira aliave passione abreptus, verba blasphemiae profert, eorum significationem non advertens, peccat tantum venialiter sub hoc respectu, ut expresse agnoscit S. *Th.* 2 2, q. 13, art. 2. Item qui ex inveterata consuetudine blasphemandi, quam serio retractavit,

eadem tamen inadvertenter pronuntiat verba, a mortali et quandoque ab omni peccato excusatur. Potest igitur absolvi et ad sacram Eucharistiam admitti, saltem in Paschate. Sic ipse *Coll. Andeg.*, t. iv.

7^o Similiter ex defectu advertentiæ sæpe fit ut formulæ vere blasphematoriæ in se et horribiles, a gravi peccato excusentur, v. g. MORDIÉ (*mort de Dieu*), VENTREDIÉ (*ventre de Dieu*), TÊTEDIÉ (*tête de Dieu*), JARNIDIÉ (*je renie Dieu*), MAUGREDIÉ (*malgré Dieu*), etc. Communiter enim qui hujusmodi formulis nunc utuntur, pravum earum sensum non intelligunt.

8^o Nunc etiam aliqui credunt se non blasphemare dicendo simpliciter *nom de Dieu*, *mille noms*, si non præcedat nomen adjectivum *sacré*; vel etiam *sacré nom*, si non sequatur *de Dieu*, vel simpliciter *sacré*. Hæ formulæ multum in regionibus nostris usitatæ, quas reperimus apud D. *Vernier*, t. 1, nobis videntur excusari posse a mortali ubi proferuntur sine ira, quia non exhibent sensum in Deum contumeliosum, et fideles graviter non offendunt, nisi ratione status et conditionis personæ eas proferentis scandalum præbeant. Illæ vero alteræ: *S... nom de Dieu*, *S... mille noms de Dieu*, difficilius a mortali excusari possunt, quia ex sensu fidelium in Deum sunt contumeliosæ. Attamen, cum ex naturali significatione sua non sint blasphematoriæ, ut gravitas peccati discernatur, attendenda est intentio eis utentium. Alia est formula sæpe usitata, *Mille dieux*, quæ in se est hæretica; sed viri rustici ea utentes, communiter talem non illi tribuunt sensum.

Cæterum hæc omnia ex circumstantiis judicanda sunt et S. *Ligorius*, l. 3, n. 130, cum aliis pluribus, contendit quod in dubio an aliqua formula sit vel non blasphemia, ut blasphemia non sit habenda. Saltem qui ea utuntur absque formali intentione Deum inhonorandi, non reputandi sunt rei peccati mortalis.

9^o Appellatio nominis Dei, vel Jesu, vel Mariæ, vel aliorum Sanctorum, per modum loquendi, sine contumelia, v. g.: *Mon Dieu oui, mon Dieu non, ô bon Dieu! bon*

Jésus! etc., non est blasphemia, et tamen aliqua culpa veniali non caret, quia est vana sanctorum hujusmodi nominum usurpatio. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.* Eccli. xxiii, 10.

In erudito opere dicto: *Mélanges théologiques*, IV^e série-1850-1851, longa et optima invenitur dissertatio in qua expenduntur regulæ ad discernendas blasphemias, causæ blasphemantes a mortali excusantes et iudicium de nonnullis locutionibus ferendum.

De formulis inter rusticos usitatis: s.... b.... m.... etc.

Voces illæ, a plebecula interdum usurpatæ, certe conviciarum in se plenæ sunt. Cum autem, ut plurimum accidit, iis nulla nunc annexa sit idea, qui eas, seclusis scandalo et contumelia gravi, proferunt, non videntur peccare mortaliter. Admittere enim non possumus, cum quibusdam quos audivimus, nomen adjectivum *sacrè* nominibus inurbanis vel etiam tarpibus junctum sine mala intentione, mortale peccatum constituere.

De maledictionibus in se vel in alios, v. g.: Que je meure, que le diable me confonde, qu'il me brûle, qu'il t'emporte, etc.

Qui ex desperatione vel ira hæc sibi vel aliis sincere exoptaret mala, mortaliter peccaret contra charitatem, *ut patet*: item qui tales proferendo maledictiones, grave præberet scandalum, ratione sui status vel qualitatis, vel notabili contumelia personam afficeret; ut si filius ex ira patri vel matri, fidelis parochi, servus domino, etc., sic malediceret.

Qui vero, gravibus scandalo et contumelia seclusis, hujusmodi proferunt imprecationes, de malis invocatis minime cogitando, nedum ea sincere exoptent, graviter non peccant; qua enim ratione mortale esset peccatum? Non ratione mali appellati, cum non desideretur; non ratione profanationis nominis invocati, siquidem nomen diaboli profanari non potest: ergo, etc. Excipitur nisi proferen-

tes persuasum haberent se mortaliter peccare: quo in casu *S. Ligorius* eos a confessariis et prædicatoribus sedulo instruendos esse, ne ex falsa conscientia pergant mortaliter peccare.

Quoniam tamen hujus generis locutiones Christianos valde dedecent, a peccato veniali rarissime vacant, sæpe scandalum generant, personas offendunt, charitati officiant, fideles ab eis caute avertendi sunt et monendi ut hæc Christi verba non obliviscantur, Matth. v, 37: *Sit autem sermo vester, Est, est, non, non: quod autem abundantius est, a malo est.*

Quamvis usurpatio dæmonis in conversatione non sit per se peccatum, Christianum tamen non decet, et nominatio ejus cum ira posset esse grave peccatum, ratione scandali, ait *Layman a Busenbaum* et *S. Ligorio* citatus et non reformatus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JURAMENTO.

Hunc articulum in octo dividemus paragraphos: primus erit de nomine et definitione juramenti; secundus, de ejus divisione; tertius, de illius usu; quartus, de conditionibus ad illud requisitis; quintus, de ejus obligatione; sextus, de illius interpretatione; septimus, de obligationis ejus cessatione; et octavus addetur, de adjuratione Dei.

§ I. — De nomine et definitione juramenti.

1^o Nomen juramenti venit a *jure*, quia ex motivo religionis pro jure apud omnes gentes habetur, et qui eo utitur jus veritatis Deo tribuit. Dicitur etiam eadem de causa *jusjurandum*; et *sacramentum*, quia fit per rem sacram; vel rei sacræ, nempe infallibilis veritatis, per attestacionem Dei, est signum.

2^o Definiri solet: *Invocatio tacita vel expressa supremi Numinis, tanquam infallibilis veritatis, in testimonium alicujus rei.* Hæc invocatio in eo consistit ut jurans velit

Deum id quod jurat attestari, non hic et nunc, quod esset tentatio Dei, sed quando ipsi placuerit, in hac vita, vel in ultimo judicio, quando *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium*.

Verum igitur est juramentum quoties Deus ut alicujus rei testis assumitur, v. g., *Deum attestor, Deum contestor, testis sit mihi Deus, Deum assumo, invoco ut testem, etc.* Contra vero formulæ in quibus Deus non adducitur directe vel indirecte ut testis, vera per se non exprimunt juramenta, v. g., sequentes: *Deus novit, Deus suo tempore testabitur, coram Deo loquor, Deus videt nos, Deus videt conscientiam meam, Vivit Deus, Deus est veritas, etc.*, si narrative tantum proferantur: ubi vero invocative proferuntur, vera sunt juramenta, quod ex circumstantiis et intentione pronuntiantis dignoscitur: sic Hebræi jurare solebant: *Vivit Dominus*.

3º Item realiter non jurant qui dicunt: *Si cela n'est pas vrai, je veux être pendu, je veux qu'on me coupe les oreilles*; vel: *En vérité, ma foi, par ma foi, foi d'honnête homme, foi de chrétien, foi de prêtre; en conscience, sur ma conscience, etc.*, quia sic loquendo, non intendunt Deum invocare ut testem, sed dicta sua affirmare. Si quis tamen, ut notat *Coll. Andeg.*, t. iv, dicendo, *sur ma foi, foi de Chrétien*, Deum intenderet attestari per fidem christianam, vere juraret.

4º Similiter non jurant qui dicunt: *Cela est aussi vrai qu'il est vrai que le soleil nous éclaire, aussi vrai qu'il y a un Dieu, comme Dieu est mon juge, je suis aussi innocent de ce fait que la sainte Vierge, etc.*, nisi ex adjunctis intentio eorum ad attestationem Dei invocandam determinetur: si comparatio sit falsa, erit tantum mendacium. Qui intenderet significare tantam esse certitudinem in dicto suo quanta est in veritate fidei allegata, blasphemaret; et qui veracitatem Dei sic invocaret in attestationem falsi, perjurus esset.

Denique non est juramentum cum quis jurat per creaturas in quibus nihil divinæ bonitatis relucet, v. g., per paleam, per barbam, per vestem, etc., quia Deus non

censetur adduci in testem. Secus vero, quando juratur per nobiliores creaturas, in quibus divina attributa singulariter exprimuntur, v. g., per cælum, per terram, per templum, per aliquod sacramentum, per sancta Evangelia, etc. Super hæc vide *Busenbaum et S. Ligorium*, l. 3, n. 133 et seq.

6º Ad essentiam veri juramenti pertinet intentio jurantis qui intelligere debet sensum formulæ qua utitur, et velle Deum invocare ut testem; juramentum enim debet esse actus humanus, non ratione locutionis materialis tantum, sed quatenus est juramentum: importat igitur necessario advertentiam et intentionem. Unde una locutio poterit esse juramentum in una persona, et non in altera.

§ II. — De divisione juramenti.

Juramentum variis modis dividitur, scilicet 1º in assertorium et promissorium. Est assertorium, quando sub attestatione Dei affirmamus aliquid esse vel fuisse, non esse aut non fuisse, v. g.: *Testor coram Deo me fuisse ordinatum, me hic et nunc verum dicere, me talis furti vel homicidii non esse reum*; est vero promissorium quando sub attestatione Dei confirmamus quod pollicemur, v. g.: *Juro principi fidelitatem; Juro me verum in conscientia mea esse dicturum*;

2º In juramentum explicitum, quo Deus expresse invocatur; et implicitum, quando juratur per creaturas quatenus ordinantur ad Deum;

3º In simplex et solemne: est simplex quando Deus verbis vel signis æquivalentibus pure invocatur; et solemne, quando nonnullæ adhibentur cæremoniæ, ut *Missa, vel communio præcedens, tactus Evangelii vel crucis, etc.*;

4º In judiciale, quod coram judice legitime interrogante emittitur; et extrajudiciale, quod fit extra judicium.

Juramentum judiciale est adhuc duplex: unum quod a judice uni e partibus contendentibus defertur, juxta conditiones in Codice civili, art. 1367, expressas;

et alterum quod ab una parte alteri defertur, ad terminandam litem, et vocatur decisorium. Suas habet regulas in Codice, art. 1358 et seq., expressas.

5^o Dividitur in contestatorium et execratorium. Contestatorium est illud in quo Deus simpliciter invocatur in testem; execratorium illud est quo Deus simul invocatur in testem et in vindicem perjurii, v. g.: *Moriar in hoc loco, si mentiar; Nunquam ingrediar paradysum; Absorbeat me terra; Pereat familia mea*, etc.

6^o Dividitur in verbale, quod solis verbis exprimitur; in reale, quod fit gestu aliisque signis, ut, v. g., si, petente magistratu, levetur manus in signum juramenti, vel moveatur pes, aut inclinetur caput; et in mixtum, in quo actus corporalis jungitur verbis, v. g., manus ponatur super librum Evangeliorum dum formula juramenti profertur.

Distinguuntur insuper juramenta absoluta et conditionata, sincera et dolosa, aperta et ambigua, quæ sola enuntiatione sufficienter intelliguntur.

Varia autem illæ divisiones non constituunt species juramenti diversas, quia in omnibus reperitur invocatio Dei ut testis, ac proinde eadem virtus religionis, quæ colitur vel læditur, prout juramentum est licitum vel illicitum.

§ III. — De usu juramenti.

Licitum esse juramentum negarunt 1^o quidam Albigenes, qui se dicebant Catharos, et damnati fuerunt anno 1250 in concilio Tarraconensi, quia dicebant *in nullo casu esse jurandum*; 2^o *Wiclefus*, cujus error hoc in puncto proscriptus est, n. 43, in concilio Constant.; 3^o *Quakers* Anglicani et Americani, qui contendunt nullum juramentum esse licitum. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Juramentum, debitis conditionibus vestitum, est licitum.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1^o *Est de fide*; in concilio enim Constantiensi, sess. 8, inter *Wiclefi* errores sequens articulus, n. 43, fuit proscriptus: « Juramenta illicita sunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus et commercia civilia. » Huic decisioni concinit constans praxis Ecclesiæ quæ frequenter exigit juramenta, vel in judiciis, ut patet ex Decretal. l. 2, tit. 24, *de Jurejurando*, vel ad inquirendam hæresim, ut constat ex l. 5, tit. 7, cap. 13, § *Adjicimus*, earumdem Decretal. ex formulario Alexandri VII, etc. Ergo 1^o.

2^o *Probatur ex Scriptura sacra*. Deut. vi, 13: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*; Ps. xiv, 4: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui jurat proximo suo et non decipit*. Insignes Veteris Testamenti homines sæpe hanc juramenti formulam adhibuerunt: *Vivit Dominus*. B. Paulus pluries juravit, dicens, Rom. i, 9: *Testis est mihi Deus... quod sine intermissione memoriam vestri facio*; II Cor. i, 23: *Testem Deum invoco in animam meam*; Gal. i, 20: *Quæ autem scribo vobis: ecce coram Deo quia non mentior*. Ergo 2^o.

3^o *SS. Patrum testimoniis*. Sufficiat S. Aug., Serm. 18, n. 2: « Invenimus jurasse primitus ipsum Dominum, » in quo est omnino peccatum... non ergo est peccatum urare. » Ergo 3^o.

4^o *Ratione*. Juramentum in eo consistit ut Deus tanquam summa veritas invocetur; at talis actus optimus est in se et Deum honorat: bonus est pariter in suo fine, cum, juxta Apostolum, Hebr. vi, 16: *Omnis controversiæ eorum (hominum) finis, ad confirmationem est juramentum*.

Non solum igitur licet jurare, sed quandoque adest obligatio jurandi, si nempe 1^o superior præcipiat, 2^o si necessarium sit ad subveniendum proximo, 3^o si conditio status illud exigat.

Dices: Christus dixit, Matth. v, 34: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, etc.*: ergo omne juramentum est prohibitum.

R. Nego conseq. Sciendum est enim Scribas et Pharisæos persuasum habuisse et populo dixisse sola perjuria esse cavenda, juramenta inania non prohiberi in lege, et ea quæ fiunt per creaturas esse contemnenda, ut patet ex capite Matth. xxiii, 17 et seq. Christus utrumque errorem reformare volens, dicit non esse omnino jurandum, neque per cælum, neque per terram, etc., subintelligendo sine necessitate aut causa sufficienti; sicque redarguit pravam consuetudinem sæpissime propter leves causas jurandi, et juramenta per creaturas contemnendi. Unde *S. Aug.*, l. de Mendacio, cap. 15, n. 28: « Intelligendum est illud quod positum est omnino, ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum. »

Inst. Christus addit: *Sit autem sermo vester: Est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.* Ergo.

R. Nego conseq. Christus enim non dicit juramentum malum esse, sed *a malo*, id est, ab infirmitate ejus cui cogimur jurare ut credat, vel a vitiis hominum qui, sæpius mendaces experti, credere nolunt sine juramento, vel juramento se fide digniores reddere volunt. Sic explicant interpretes et doctores, in primis *S. Aug.*, de Sermone Domini in monte, l. 4, cap. 17, n. 51, ubi dicit: « Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades... Itaque non dixit (Christus): Quod autem amplius est malum est... sed *a malo est.* » Ergo.

Notandum juramentum, licet in se bonum et religionis actum, non tamen esse appetendum extra necessitatem; non adhibetur enim nisi ad subveniendum infirmitati mentis, sicut medicina ad subveniendum infirmitati corporis; porro medicina, licet in se bona, non tamen est appetenda: ergo nec juramentum. Unde *Ecli.* xxiii, 9: *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa; et ꝑ. 14: Etsi in vacuum juraverit, non justificabitur.*

§ IV. — De conditionibus ad licite jurandum requisitis.

Dicit Dominus per Jeremiam prophetam, iv, 2: *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.* Tres illas condiciones necessarias esse in quolibet juramento ut sit licitum, conveniunt omnes doctores, et *S. Hieron.* in cap. iv Jerem. ait: « Animadvertendum est quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. » Nomine perjurii hic intelligitur omne juramentum illicitum. Ut juramentum enim sit licitum, requiritur ex parte jurantis ratio sufficiens illud adhibendi, alioquin esset indiscretum, quod præcavet judicium; requiritur ex parte objecti ut neque sit illicitum neque falsum: hinc veritas et justitia. Tres condiciones istas in hoc ordine explicaturi sumus.

1^o *Requiritur judicium.*

Judicium hic non sumitur pro executione justitiæ, inquit S. Th. 2 2, q. 89, art. 3, ad 1, *sed pro judicio discretionis*; cum enim juramentum sit res sanctissima, adhiberi non potest, nisi cum fide, pietate et reverentia, et hæc omnia reperiuntur in discretionis judicio. Juraturi igitur perpendere debemus: 1^o an juramentum sit necessarium, vel saltem valde utile, habita ratione circumstantiarum; 2^o an rem juramento promissam tempore definito exsequendi facultas nobis adfutura sit, ne in discrimen promissa violandi incidamus.

Sedolo igitur cavere debent fideles ne nomen Dei, *sanctum et terribile*, promiscue sumant, et consuetudinem indiscrete jurandi contrahant, quod *S. Aug.* sic pro seipso deplorat, *Serm.* 180, n. 10: « Juravimus et nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem et mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, et quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, et veterinosissimam consuetudinem timore frenavimus. Frenata restringitur,

» restricta languescit, languescens emoritur, et malæ
 » consuetudini bona succedit. Denique non vobis dici-
 » mus non nos jurare. Quantum ad me pertinet, juro;
 » sed, quantum mihi videtur, magna necessitate com-
 » pulsus. Cum videro non mihi credi nisi faciam, et ei
 » qui mihi non credit non expedire quod non credat : hac
 » perpensa ratione et consideratione librata, cum magno
 » timore dico : Coram Deo; Testis est Deus; aut, Scit
 » Christus sic esse in animo meo, etc. »

In consuetudine frequenter jurandi adest periculum
 scandali aut perjurii, sicut advertit *S. Aug.*, et sub his
 respectibus juramentum indiscretum potest esse mortale :
 seclusis vero contemptu, gravi scandalo et perjurii peri-
 culo, peccatum veniale non excedit, ut omnes theologi
 etiam rigidiores fatentur, quia tunc gravem irreveren-
 tiam erga Deum non continet.

2º *Requiritur justitia.*

Justitia juramenti in eo consistit quod assertio rei,
 sive præsentis, sive futuræ, nullam lædat virtutem.
 Unde quæstio est an uti juramento ad affirmandam vel
 promittendam rem illicitam sit peccatum, et quale
 peccatum.

Plurima sunt certa et alia dubia. Certum est 1º pro-
 mittere sub juramento aliquid mortaliter malum facere
 v. g., homicidium, fornicationem, esse peccatum mor-
 tale, sive adsit intentio implendi, quia Deus invocatur
 ut iniquitatis patronus; sive non sit intentio rem sic
 promissam faciendi, quia est perjurium; 2º rem sic
 promissam propter juramentum facere, ut Herodes
 quando decollavit Joannem Baptistam, esse blasphemiam :
 unde qui rem malam sub juramento promisit,
 graviter peccavit et eam faciendo dupliciter adhuc pec-
 caret, scilicet contra virtutem cui per se opponitur, et
 contra religionem; 3º uti juramento ad consummandum
 peccatum, v. g., ad persuadendam detractionem, ad

seducendam puellam, peccatum esse mortale, quia sic
 jurans Deum facit, quantum in se est, peccati sui com-
 plicem; quod probabilius dici debet, etiamsi peccatum
 sit veniale. Idem probabilius dicendum esse æstimat
Billuart de eo qui, propria narrans peccata, jactantiæ
 causa, illa juramento confirmat ut majorem inde perci-
 piat gloriam.

An vero mortaliter peccet qui promisit sub juramento
 rem venialiter malam se facturum, non sibi consentiunt
 auctores : affirmat *S. Ligorius*, l. 3, n. 146, cum quibus-
 dam aliis, quia gravis ipsi videtur irreverentia Deum
 invocare in testem ac fidejussorem peccati quantumvis
 levis. Negant alii communius, ut *Cajetanus*, *Soto*, *Na-
 varrus*, *S. Antoninus*, *Sylvius*, *Lessius*, *Layman*, *Suarez*,
P. Antoine, *Collet*, *Billuart*, etc., dicentes injuriam erga
 Deum tunc sibi non videri gravem. Prior sententia pro-
 babilior nobis videtur; si enim qui juramento utitur ad
 perficiendum peccatum leve, v. g., ad persuadendum
 alteri ut mentiatur, mortaliter peccet, ut probabilius do-
 cetur, cur non is qui per juramentum intendit se obli-
 gare ad faciendam rem venialiter malam? Si intentionem
 rem faciendi non haberet, perjurus esset et mortaliter
 peccaret.

At qui jurat aliquid contra consilia Evangelica, v. g.,
 se non daturum eleemosynam, venialiter tantum peccat,
 secluso contemptu et scandalo, quia non videtur eadem
 erga Deum irreverentia. *Ita communiter theologi.*

3º *Requiritur veritas.*

Veritas ad juramentum requisita est conformitas dic-
 tionis cum mente jurantis : excludit igitur omne menda-
 cium, non vero errorem. Unde contingere potest ut quis
 in veritate juret, quamvis falsum dicat, si nempe bona
 fide credat esse verum; et, e contra, verum dicat et pe-
 jeret, si videlicet arbitretur se mentiri.

Quoties autem juratur falsum cognitum, id est quoties

mendacium juramento confirmatur, peccatum est mortale, sive materia sit gravis, sive sit levis, sive seria, sive jocosa, quia gravis committitur irreverentia erga Deum qui adducitur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere, falsum testando. Tale juramentum est perjurium, quod nunquam est veniale, nisi defectu advertentiæ aut consensus, ut omnes fatentur.

Qui autem temere jurat, absque sufficiente examine, ut veritatem rei cognoscat, mortaliter vel venialiter peccat, ratione suæ negligentia et periculi cui se exponit falsum jurandi.

Non tamen absoluta requiritur certitudo ad licite jurandum, alioquin fere nunquam liceret jurare; sed sufficit certitudo moralis de veritate assertionis aut de futura adimplentione promissionis, quia communiter sola hæc certitudo in actibus humanis obtinetur.

Apud omnes constat perjurium semper esse, ratione sui, peccatum mortale, quia per se gravem injuriam Deo infert; sed omnes pariter fatentur illud excusari posse a toto vel saltem a tanto, et fieri veniale defectu animadvertentiæ aut consensus. Hinc docet *S. Ligorius*, lib. 3, num. 150, rusticos malitiam perjurii non intelligentes, et consuetudinem pejerandi habentes, non statim de gravitate peccati monendos esse, ne a peccatis materialibus ad formalia transeant, sed prudenter hortandos ut deinceps falsum jurare desinant.

Ex principiis a nobis positis in Tractatu de *Actibus humanis*, ubi de cooperatione ad aliorum peccata, sequitur 1^o juramentum exigi non posse, sine causa sufficiente, ab eo qui prævidetur falsum juraturus, et 2^o licite exigi posse ubi justa existit causa illud petendi, nempe necessitas vel gravis utilitas, quia tunc soli pejeranti est imputabile.

§ V. — De obligatione juramenti.

1^o Juramentum assertorium nullam imponit obligatio-

nem adimplendam: vel conditionibus requisitis est vestitum, vel non. In priori casu est licitum; in posteriori est peccatum, ut patet ex dictis.

2^o Juramentum promissorium spectari potest vel quoad actum præsentem, vel quoad futurum. Quoad actum præsentem spectatum, est assertorium, et sub eo respectu importat firmam intentionem rem promissam faciendi et persuasionem eam futuram esse possibilem ac licitam: secus verum esset perjurium atque grave peccatum.

3^o Consideratum vero quoad futurum, vel est de re illicita, vel de re licita: si sit de re illicita, nullam imponit obligationem, ut supra diximus; si sit de re licita, attendendum est an jurans habuerit 1^o intentionem jurandi, 2^o intentionem se obligandi, 3^o intentionem adimplendi obligationem sibi impositam, et 4^o an res promissa sit possibilis et utilis. Pro diversis his suppositionibus diversæ sunt solutiones.

4^o Qui coram iudice vel in contractibus jurat sine intentione jurandi, mortaliter peccat, ob gravem injuriam quam infert Deo et proximo. Ad rem sic promissam non tenetur vi juramenti, quod est nullum, sed vi justitiæ naturalis. At si extra iudicium et contractus, cum firmo rem faciendi proposito, tale emittat juramentum, venialiter tantum peccat, juxta *S. Ligorium*, l. 3, n. 172, et plures apud ipsum, quia ex nullo capite gravis videtur offensa erga Deum. Semper autem peccatum erit saltem veniale, ut patet, tum ex allegatis, tum ex sequenti propositione ab Innocentio XI die 2 martii 1679 damnata: « Cum » causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit » levis, sive sit gravis. »

5^o Qui jurat sine animo se obligandi, sed cum intentione implendi, secundum plures mortaliter peccat, quia gravis videtur irreverentia erga Deum, eum adducere in testem exterius, et interius nolle testimonio ejus obstringi. Sic *Cajetanus*, *S. Antoninus*, *Navarrus*, *Lacroix*, *Tamburinus*, etc. Alii vero, inter quos *Sanchez* et *S. Ligorius*, contendunt peccatum esse duntaxat veniale; nam, in-